PANCRATIUS CRUGERIUS

ORATIO SACRA AUGUSTO
MATRIMONIO ILL. PRINC. FRI-
DERICI DUCIS SILESII ET LIG-
NITII ET ILL. PRINC. DOROTHEÆ
CIMBRICÆ ETC. IN SCHOLA AURI-
MONTANA SILESIORUM PRID. NON.
DEC. A. 1589 RECITATA


FRANCOF. A.V. 1589

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

40 II - 426
4°
(LN bis 341)

DA BOX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

CARL LUND

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

592

ORATIO
Sacra auguſto matrimonio

40 2. - 426

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DN. FRIDERICI Ducis Sileſij & Lignitij, &c. Et Illuſtriſsimæ Principis ac Dominæ Dn. DOROTHEAE CIMBRICAE, &c.

Continens Paraphraſin narrationis Moſaicæ de ortu Coniugij, ex Cap. 1. & 2. Geneſeos.

In Schola Aurimontana Sileſiorum, publicis ferijs indictis, quo die nuptiæ in Holſatia celebrabantur, prid. Non. Decemb. Anno 1589.
recitata à

Pancratio Crugerio Finſtrevaldenſi.

IMPRESSA
Francofordiæ ad Viadrum typis Sciurianis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

ILLVSTRISSI-MO PRINCIPI ET DOMINO,

Dn. Friderico IV. Duci Sileſiæ Lignicenſi, Brigenſi & Goldbergenſi, &c.

&

Illuſtriſſimæ item Principi ac Dominæ, Dn. Dorotheæ, Dn. Ioannis, Hæredis Norvegiæ, Ducis Holſatiæ, Sleſvic. Storm. & Ditmarſ. Comitis Oldenburg. & Delmenhorſti &c. Filiæ, è Regio Danorum ſanguine, virgini inclytæ:

Matrimonium Sunderburgi in Cimbrica Cherſoneſo ineuntibus, pridie Non. Decemb. A. C. 1589.

Domino & Dominæ ſuæ pariter clementiſſimis:

Hoc monumentum ſacri ipſorum fœderis, & Deo Opt. Max. gratiſſimæ caſtitatis,

Summæ obſeruantiæ ergò ponit ac conſecrat, Perpetuamq; coniugio felicitatem, poſteritatemq; longiſſimam & florentiſſimam precatur,

M. Pancratius Crugerius Finſtrevaldenſis, illuſtris Scholæ Aurimontanæ Rector.

B.R.H.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

DN. FRIDERICO, ET DN. DOROTHEAE,

Clementiſsimo & Clementiſsimæ Domino ſuo ac Dominæ, Principibus illuſtriſsimis:

Pancratius Crugerius Finſtrevaldenſis,

S. P. D.

QVæ me cauſæ, Illuſtriſsime clementiſsimeque Princeps ac Domine, & illuſtriſsima clementiſsimaq́; Princeps ac Domina, adduxerunt; vt quo die matrimonij veſtri ſplendida illa & iucundiſsima ſolennitas in Cherſoneſo Cimbrica celebrata eſt; hanc oratiunculam in illuſtri Schola veſtra Aurimontana haberem: eæ ipſæ me hortantur atque impellunt, vt eandem cum Deo redeuntibus nunc obuiam mittam. Nam & pietas Deiq́; laudum celebratio nullo loco, nullo tempore excludi debet; quæ mihi in præcipuis fuit ad hæc contexenda cauſa: & omne hoc iter vobis ſolenne etiam nunc & feſtum eſſe, crebriſq́; gratulationibus celebrari conuenit; quoad pleniſsimis veſtrorum, tàm cupidè Domini ſui clementiſsimi, Dominæq́; exoptatiſsimæ aduentum conſpectumq́; expectantium gaudijs excipiamini. Obſeruantiæ verò erga ampliſsimam dignitatem ſummamq́; excellentiam veſtram, venerationiſq́; noſtræ ſtudium, cur non quamprimum celſitatibus veſtris cognitum exploratumq́; eſſe cupiamus? à qui-

bus & noſtrarum defenſio fortunarum, & patrocinium ſtudiorum, & vitæ omnis præſidium ac ſalus pendet. Quæſo vos, humilis & laborioſi atque induſtrij clientis veſtri diligentiam officiumq; benignè agnoſcite, & clementer approbate. Quod vt fieri quàm diutiſsimè poſsit : coniugium modò initum & longæuum ſit, & felix ac fauſtum fortunatumq; cum generi vtriuſq; ac genti inclytæ, tum veſtris ipſorum celſitatibus, tum vniuerſæ Prouinctæ ac Reipub. Quod equidem à Deo Opt. Max. cum omnibus veſtris ciuibus ex animo precor. Valete.

Aurimontij VI. Id. Decemb. Anno Chriſti 1589.

Si quis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

SI quis fortè miratur, Auditores ornatiſsimi, quid ſit, cur hodiernum diem à conſuetis ſanctiſsimisq; muneris noſtri operis feriatum, & vniuerſæ ſcholæ feſtum ſolennemq; eſſe voluerim; qui nihil adhuc tale vt facerem, ex quo huc veni, adduci me paſſus ſum: hic ſi non tam videndi, quàm audiendi ſenſu vtatur, tum animum ad illa conuertat cogitanda, & quaſi coram cernenda, quæ hoc tempore, adeoq; hac ipſa, vt opinor, hora, quanquam procul à nobis, & in diſsita atq; longinqua terræ parte; diuinis auſpicijs, vt & volumus & optamus & ſperamus omnes, ad huius Prouinciæ dignitatem atq; ſalutem geruntur ac fiunt: profectò non modò conſilium factumq; meum mirari deſinet; ſed cur non idem omnes huius oppidi ciues, omnes clariſsími Ducatus incolæ, omnes omnium eius ordinum Proceres, omnes villæ agriq; nobiſcum faciant, requiret. Enimuerò nemini arbitror homini ignotam eſſe iucundiſsimam illam atq; exoptatiſsimam famam, quæ nuper hanc gentem non obſcuro neq; dubio rumore, ſed certis literis nuncijsq; peruaſit, Prouinciamq; abſentis iam optimi & cariſsimi Principis ſui deſiderio languidam refecit atq; erexit: cum præter opinionem ſubitò hæc nunciaret: Qui non ita pridem vidua domo, luctus curæq; plenus fuerat egreſſus, longinquo itinere ad cognatos Principes maximarum rerum cauſa ſuſcepto: eum Dei Opt. Max. munere iam breui reuerſurum, diuturno mœrore profligato, depoſitoq; tandem inutili luctu, nouis elatum gaudijs, repentinis dulcibusq; potitum amoribus; nec ſolum futuris lætum nuptijs ſponſum, ſed nouum maritum, noua regij generis dilectiſsimaq; ob eximias virtutes coniuge, regiaq; pompa comitatum. Atq; hunc adeò diem, quem nunc agimus, illũ ipſum fore eadem fama ferebat, qui ſolennitati nuptiarum dicatus, tantis initium gaudijs cauſamq; eſſet præbiturus. Hæc qui ſibi in memoriam reuocet, aut ſi nondum forte lætiſsimo hoc nun-

 tio aſ-

tio affectus ſit, audiat: an non exclamet continuò mecum? O felix tempus illud! ò feſtiuam lucem! quæ oculos noſtros pacet, animos ſuauiſsimè exhilarabit tàm iucundo, tamq; expeſito ſpectaculo! Nempe aureo curru inuectæ illuſtriſsimæ animæ, caſtiſsimis flammis mutui amoris ardentes, & alter in alterius obtutu hærentes; ſubibunt vetuſtum & ſplendidum domicilium ſuum, ædificijs ciuibusq; ornatiſsimum Lignitium; arcemq; tot antiquorum Regum ac Principum altricem ſalutabunt, obuijs illam vlnis lætiſsimoq; amplexu accipientem deſideratiſsimum ſuum dominum, & dominam exoptatiſsimam: antecedentibus interim & ſubſequentibus tot luminibus illuſtriſsimæ nobilitatis vtriusq; ſexus, ampliſsimis legatis Principum ac populorum, clariſsimis hoſpitibus atq; conuiuis viſendo equitatu atq; habitu, ornatiſsimis ciuibus, honeſtiſsimis miniſterijs, omni multitudine ad ſpectandum vndiq; effuſa, omnibus fauſtas acclamationes iactantibus, feliciſsimumq; reditum Patri patriæ, fortunatiſsimum aduentum nouæ Dominæ, lætiſſimum vtriq; matrimonium gratulantibus, ſummaq; tum religione, tum alacritate vota facientibus. Eiuſmodi gaudijs quis tum non cupiat intereſſe? quis non feriari? quis non diem feſtum velit agere? Atq; hæc quidem tum fient; atq; vt fiant, quemadmodum cupidis animis expectamus, ita piè caſteq; omnes comprecamur. Quæ cum ita ſint, qua nunc ergo hic etiã dies celebritate tranſigendus à nobis? qua lætitia nobilitandus eſt? cum ante aras conſiſtunt, & dextras fidemq; ſempiterni caſtiſsimiq; amoris iungunt nobiliſsima pectora, mutua non magis pulcritudinis externæ (quæ ipſa tamen vtrinq; ſumma eſt, hinc blandiſsimam venuſtatem, illinc grauiſsimam dignitatem bellè ſpirans) quàm internarum & è corporis luce effulgentium virtutum admiratione ſuccenſa; & cupiditate ac ſpe inclytæ poſteritatis inflammata. Quantum verò circa ceremoniarum? quanta ſolennitas eſt ſacri ritus? qui cantus? qui tubarum ſonitus? qui tympanorum pulſus? quæ fidium fiſtularumq; modulamina? quæ Muſarum voces & carmina? Quis deinde apparatus regalis conuiuij? quæ magnificentia epularum? quæ Principum

cipum virorum colloquia? qui ſermones ſapientum? qui luſus & ioci facetorum hominum? quæ inuitationes familiarium? quanta ad hilaritatem amicorum cohortatio? quæ ſaltationes adoleſcentium? quæ tripudia virginum? quanti autem ſtrepitus & murmura partim miniſtrorum, partim ſpectatorum aliena lætitia exultantium? Nihil enim tanto omnium gaudio excipitur, nihil lætius iucundiusq; ſpectatur, quàm legitimarum nuptiarum fœdera, & eiuſmodi temporis celebritas: quæ etiam ijs, ad quos nihil attinet, ingentem affert læticiam & voluptatem. Quod ſi in priuatæ fortunæ hominibus accidere videmus: quid in tanto honorum & ſupremæ excellentiæ faſtigio fieri putandum eſt? Ab illis enim propagatores tantummodo humani generis; hinc propagationis ipſius tuendæ conſeruandæq; cuſtodes fore vt naſcantur, ſperamus. Neq; verò ſi hæc in præſentia auribus atq; oculis minus vſurpamus; non animo exaudire eadem atq; videre aut poſſumus aut debemus: cum quin fiant dubitandum nihil arbitremur. Animus enim eſt, vt Græco verſiculo dicitur, qui cernit, qui audit, qui percipit omnia: vt præſentibusnè rebus moueamur, quas ſenſu contingimus; an abſentibus impellamur, quas fama accipimus, & mente tanquã præſentes complectimur: non magnoperè videatur referre. Quamobrem ſi quid eſt in nobis humanitatis Auditores, à qua nemo noſtrum vult cenſeri alienus: ſi qua beneuolentia & caritas in Principem, quam pro ſingulari eius erga ſuos manſuetudine in vnoquoq; neceſſe eſt eſſe maximam: ſi quod ſtudium commendandi humilitatis noſtræ officia ſummo magiſtratui, in quo omnibus inter omnes honeſtiſsimum certamen eſſe par eſt: hunc certè diem ſine communis læticiæ gratulationisq; ſignificatione prætermittere nullo modo debemus. Qua quidem in re cum alios decere poſsint alia: tum hoc profectò conuenit omnibus, qui Chriſtiani dignitatem nominis tueri volunt; ad Deum immortalem hanc læticiam, vnde orta eſt, referre, illiusq; laudes publicè priuatimq; promere ac decantare. Deus enim, Deus inquam eſt, quo ſancta coniugij ſocietas & cœpit primũ, & conſeruata eſt hactenus, & fæcunditate continua terrarum

orbem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

orbem cunctis ſeculis repleuit, & ad mundi vſq; finem repletu-
ta eſt ſatione numini ipſius grata atq; accepta. Deus item, Deus
eſt, quo auſpice, quæ nunc fiunt nuptiæ, admirabiliter concilia-
tæ atq; contractæ ſunt; ex diuerſiſsimis terrarum tractibus in v-
num perductis, qui ſe antea nunquam viderant, nunquam con-
uenturos animo aut cogitatione præceperant. Hoc eodem pa-
trono, cuſtode, præſide, ratum erit fœdus, quod initur; conſta-
bit indiſſolubilis fides, perpetuus vigebit amor, vigebit beneuo-
lentia; ſemperq; recens ac nouum deſiderium æternis gratijs
obſtringet coniugum animos; eorumq; & regiam & Prouinci-
am felicitas nunquam interrupta, & ſoboles viuaciſsima in o-
mnes futurorum temporum ætates excipiet ac beabit. Pro qui-
bus beneficijs cum & celebrari rerum parentem, & coli, & ro-
gari, & omni veneratione placari à nobis, veram, non ſimula-
tam pietatem profeſsis oporteat: meas partes eſſe has putaui, vt
hodie publicis quaſi ferijs indictis, in ſolenni diſcipulorum no-
ſtrorum cætu pauca hac de re dicerem: cum plura neq; tempo-
ris anguſtia, (non enim prius, quàm ex aula his proximis diebus
redij, conſilium hoc cepi) neq; contracta ex improuiſo dolore
animi quædam moleſtia, meditari atq; conſcribere permiſiſſet.
Quamobrem à vobis, humaniſsimi doctiſsimiq; Auditores, eti-
am atq; etiam peto contendoq;, vt qua beneuolentia non diſer-
tum hominem, quoq; candore non ſatis paratum ad dicendum,
neceſſariò tamen dicentem, audire ſoletis: ea nunc me quoque
beneuolentia, eodemq; candore libenter audiatis. Quod ſi, vt
ſpero, feceritis: cum ego immortali Deo cultum, qualem qui-
dem ipſe afflatu ſuo animo meo ſuggeſſerit; Principi clemen-
tiſsimo laudatiſsimoq; debitum honorem, vtrunq; & quantu-
lumcunq; licuerit; Sponſæ etiam eius illuſtriſsimæ lectiſsimæ-
que virgini venerationem, quæ ſanè in abſentem hoc modo
conferri poſsit, præſtitero: tum vos quoq; erga me æquitatem
humanitatemq; veſtram, erga Deum pietatem, erga Principem
Principiſq; dulciſsimam ſponſam, parem mecum obſeruantiam
diligentiamq; officij cum magna laude veſtra declaraueritis.
Quòd ergo eundem Coniugij auctorem, quem vniuerſi opifi-
cem a-

ſcem agnoſcere & venerari debeamus: ita notum eſt nobis, qui Eccleſiæ membra ſumus, vt (de quo nobis meritò gratulamur, vtq; hoc bonum non ætati noſtræ modò tributum, ſed poſteris quoq; deinceps perpetuum ac ſtabile ſit, exoptamus) non tam doctrina atque explicatione res egeat propter obſcuritatem; quàm ſæpe repetitam commemorationem religioſamq; prædicationem poſtulet propter dignitatem. Non enim ſi quid perſpicuum eſt & peruulgatum, id taceri etiam & ſilentio premi debet: ſi frequens eius mentio ei, de quo loquimur, honorifica & glorioſa; nobis, qui narramus vel audimus, frugifera ſit & vtilis futura: in ſolennibus præſertim congreſsibus ijs de rebus inſtitutis, ad quas commemoratio pertinet. Quis igitur nos reprehendat, ſi huic loco ac tempori conuenientiſsimam putemus eam, quæ de coniugij natalibus atq; origine diuinus Moyſes, initio longè omnium antiquiſsimæ auguſtiſsimæque hiſtoriæ ſuæ, literis prodidit narrationem? Quid ſi noſtra dictione eius mentem ac ſenſum exponere, & cum diuinitatem orationis tam ſublimis, tam argutæ, tã multa paucis complexæ aſſequi nullo pacto poſsimus; balbutiendo tamen pluribus verbis eandem & ſententijs exprimere ſtudeamus? Placet certè mihi, & credo vobis item omnibus, Auditores, placebit. An eſt enim quicquam, quod de coniugio melius ab humano ingenio excogitari, quàm à cœleſti Spiritu dictari poſsit? An eſt, quod dignius Deo dicatur de Deo, quàm quod dixit ipſe de ſeſe? Quid autem inſtituto noſtro congruentius, quid tempori aptius, quid veſtris auribus gratius, quid ad excitandam hilaritatem læticiamq; animorum huic diei debitam, commodius afferre in medium non modò ego, ſed quiuis doctiſsimus queat; quàm quod libentiſsimè omnium omnes, ſat ſcio, auditis? Mariti; vt quorum verborum recitatione cariſsimis ſuis vxoribus quondam coniuncti ſunt, ſuauiſsimam veterum gaudiorum memoriam renouent: adoleſcentes; vt quantum futuræ vitæ præſidium atq; oblectamentum iam tum ipſis à Deo præparatum ſit, (modò dignam tanto præmio caſtitatem pudicitiamq;

ad legitimum vſque tempus coluerint) præuideant: pueri etiam; vt matrum ſuarum, quibus nihil eſt dulcius, originem fabricationemq; admirandam diuinamq; cognoſcant. Cœlibes aduerſus naturæ impetum, & mulierum infauſti oſores ſi qui ſunt alibi (nam hic quidem adeſſe neminem reor) eos non plus moramur, quàm ſuæ poſteritatis cura ducuntur ipſi. Audite igitur & libentibus repetite mecum animis, de maris & fœminæ legitima coniunctione, indiuiduaq; vitæ conſuetudine primum caſte ſancteque inſtituta & ſancita expoſitionem: non Charondæ Thurij, prudentiæ opinione ciuibus ſuis non abſurdas leges de coniugio perſuadentis: non Lycurgi Lacedæmonij, ad Apollinem Delphicum inſtitutum rapiendarum virginum, & furtim habendarum commutandarumq; referentis: non Platonis Athenienſis, communes vxores & liberos de Iouis commentitij ſententia per ſomnium optantis: non Numæ Sabini, ab Egeriæ nocturnis congreſsibus modò confarreationem aut coëmtionem, modò Res tuas tibi habeto, & ſimilia reportantis; quæ Egeria aut nulla vnquam fuit, aut non ſatis caſta fuit: ſed diuini diuinorum operum atque actionum ſcriptoris, hiſtoriæq; hominum non memoria ſolum, ſed ortu etiam antiquioris interpretis Hebræi Moſis. Qui quibus oculis intuitus eſt & cœli & terræ & omnium, quæ horum complexu ac fulcro continentur, ædificationem: iiſdem primæ mulieris, omnium noſtrum parentis Euæ, molitionē ac fabricam aſpexit, eiuſdemque cum viro paulo antè condito deprehendit conſociationem. Oculis videlicet non corporis, qui præteritarum rerum nihil attingunt, abſentibus nihil mouentur: ſed mentis, diuino Spiritu afflatæ; quibus quæ ante, quæ retrò, quæ ſurſum, quæ deorſum, quæ præterlapſa, quæ futura ſunt, acutiſsimè liquidiſsimeq; cernuntur vniuerſa. His ille oculis vidit, eiuſdemq; generis auribus hauſit, quæ in literas retulit, Deiq; populo legenda tradidit, certiſsimus fideliſsimusq; rerum teſtis abditiſsimarum. Effictus iam erat, inquit, homo à Deo, è terræ quidem limo atque argilla rubente concinnato corpore, & in

maris

maris ſpeciem pulcerrime figurato: animo autem è diuino ſpiraculo inſito tali, qui ad auctoris imaginem ſimilitudinemque proximè accederet. Iamque idem in ſpacioſiſsimo amœniſſimoq; horto quodam ad Orientem collocatus, & religionis præcepta à ſummo parente acceperat, cultusq; diuini rationem in non guſtando fructu vnius arboris, quæ Scientifica boni & mali appellabatur, didicerat: & totius terrarum orbis, quàm latè in omnes plagas patet, omniumq; rerum conditarum Dominus effectus erat: adductis in conſpectum ipſius cunctis animantibus & volucribus; quas ſingulas nominum impoſitione, quæ viderentur, in poſſeſsionem poteſtatemq; ſuam iam receperat. Atque hic ſanè mirabilis res oblata oculis viri, animum quoque illius non iniucunda neque abſurda cupiditate commouit. Apparebat enim in iſta quaſi luſtratione & cenſu ac deſcriptione animalium, omne genus beſtiarum & alitum ita à parente atque opifice vniuerſi factum; vt ſua cuique mari fœmina eſſet adiuncta, cum miro appetitu ſocietatis & coniunctionis ad procreandum. Itaque in magna etiam feritate & immanitate naturæ, quæ tum tamen homini planè erat innocua; leæna blandiebatur leoni, vrſa vrſo, lupa lupo: nec feri dentes aprorum aut tigridum, nec acuti vngues & adunca roſtra accipitrum, gryphum, aquilarum, ad lacerandum & laniandum nata, lædebant vitæ comparem: ſed bellè & amicè & cupide inter ſeſe degebant, ac mulcebant. Voluptatem afferebat homini hoc ſpectaculum, eumque ad ſimilem ſocietatem quærendam alliciebat. Sed cum omnia circumſpiceret, omnia ſollicite luſtraret: nihil reperiebat ſui ſimile, nihil quo cum habitare poſſet, nihil quod hominis præſtantia excellentiaq; dignum in cõmunitatem vitæ eius veniret. Ita qui poſſeſsionem non ſolum amœniſsimi ditiſsimiq; horti, ſed vniuerſæ terræ, omnis maris, inſularum, fluminum, montium, vallium, herbarum, frugum, fructuum, auri, argenti, lapillorum, gemmarum adeptus erat; qui dominatu omnium animantium, quæ campis, quæ ſyluis, quæ vndis, quæ aére ſuſtinentur, præcellebat, cui

vſus fructus omnium rerum patebat, voluptates vndiq; affluebant: ei tamen in tanta opum & copiarum vi aliquid deerat; ſocium felicitatis deſiderabat; neque ſolus tanto apparatu, tanta vbertate, tot delicijs frui volebat. Quin etiam cum cœli ornatum motusq; pulcerrimos aſpexiſſet, ſuperiorumque corporum magnitudinem & lucem & naturam admiraretur: requirebat, qui cum de iſtis communicaret, diſſereret, ad ſapientiſsimi potentiſsimiq; artificis laudes & prædicationem commentaretur. Vtinam verò, inquiebat meam quoq; conditionem hoc auctam videam bono: vt ne ijs quæ & ratione ſapientiaq; longiſsimè poſt me relinquo, & imperio dominatuq; cum ſumma auctoritate coërceo; vna re ſim inferior. Hæc ille. Quid interim cœleſtis Pater? an cuiuſquam conſilio eguit, vt quid creandum eſſet intelligeret? an monitorem expectabat, qui quid deeſſet rerum perfectioni ſuggereret? Nefas hoc quidem de tanta ſapientia cogitare, quam ne æſtimare quidem licet ſatis: ſcelus, de prouidentia dubitare, quam ne ex ijs quidem, quæ iam facta ſunt, vel modica ex parte aſſequi, aut omnino metiri poſſumus. Quid igitur fecit? quod nemo vnquam putaſſet. Nam quanquam ſi nihil eo prudentius, nihil ſagacius eſſe dicamus; longe minus eius virtute dicimus: tamen rem magnam ſe moliri, & ingens atque arduum opus aggredi, vt futura hominum progenies ſciret: hoc literis conſignari voluit. Quidnam? Conſultationem eſſe à ſe inſtitutam, & ſeriam deliberationem habitam ante, quàm ad id condendum accederet, quod non tam Adami (id enim primi hominis nomen fuit) deſiderium flagitabat, quàm ipſius voluntas & æterna ſapientia vltimò elaborandum conſtituerat. Ante enim, quàm ad hominem viuas animantes omnes adduceret, illius manui ac poteſtati ſubiugandas: iam tum ſecum ipſe ita erat fatus. Producta nunc & perfecta ex nihilo omnia, quæ adhuc voluntas tulit: extant quæ antea fuerunt nulla. Domicilium paratum & inſtructum homini, in quo deliciæ ſunt noſtræ. Nec lux diei, nec faces deſunt nocti. Viret terra & frondet, circumcirca frugiferis plena ſtirpibus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

bus, intus etiam fœta ſuis bonis. Scatet aër volucribus, piſcibus mare: nihil non perfectionem ſuam ſortitum eſt. Perpetuitati etiam animantium mortalium ſatis conſultum. Vnus vir, per nos omnium hæres & dominus, obambulat nobis ſolitarius, & ſocio vitæ caret. Iamq; vbi belluarum luſus amicitiamq; mutuam aſpiciet; tangetur & ipſe cura aliqua & deſiderio ſocietatis. Neque verò placet nobis, nec benignitate noſtra ac ſapientia dignum eſt; hominem eſſe vnum & ſolum. Neq; adeò ab vno nos agnoſci atque coli pulcrum eſt; aut vni tantum regnũ, tantamq; felicitatem concedi. Caret inuidia bonitas, & pluribus ſeſe communicare geſtit. Nec vita vitalis vni fuerit, nec voluptas ſolida: nec horti operis, quem colendum ei dedimus, vnus fuerit ſatis. Quid? quod futurum præuidemus; non abſtinebit vetito pomo, nec quas minati ſumus pœnas euitabit. Quæ tum conſolatio mœrenti? quod leuamen curarum? quæ medicina ægroto? quis adiutor laborum? quæ recreatio feſſo? quæ oblectatio afflicto? quod auxilium, quod ſubſidium vitæ? Et certè replenda terra eſt habitatoribus, replendum cœlum angelorum conſortibus, quantumcunq; nobis ſit impendendum. Agite igitur vltimam manum addamus operi, & hominem hominis ſimilem fingamus; qui præſtò illi ſit, & quaſi alter idem. Sed magna hîc arte opus. Efficiendum enim, quod cum virum iuuare ac delectare poſsit, tum ad propagationem generis ſit aptum. Quòd ſi igitur hactenus res creauimus, fecimus, formauimus, effinximus: nunc deniq; ædificandum nobis eſt, maiore induſtria & cura, maiore ſolertia, ingenio, artificio; adhibitis & regulis & perpendiculis & normis: ne quid vſquam diſcrepet à pulcerrima ſpecie, quam mente comprehendimus; neu quid deſit ad ſummam venuſtatem & conuenientiam omnium partium: vnde admirabilis noſtræ vis potentiæ ac ſapientiæ indoles eluceſcat, ſingularisq; elegantia atq; nobilitas poſtremi operis noſtri omnibus temporibus appareat. Hanc tum mentem fuiſſe Dei, hanc ſententiam, Moſis ſcripta teſtantur. Vbi nunc ſunt igitur, qui mulierum genus contemnant ac deſpici-

 ant?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

ant? cuius procreationem tantæ fuiſſe curæ rerum conditori audiant? Quis aut voluntarium aut neceſſarium poſthac malum dicere audebit? quod maximo virorum bono excogitatum atq; elaboratum à cœleſti numine cognoſcat? Lux cum eſſet ſuperfundenda confuſo atq; indigeſto chao, nuper ex nihilo excitato, ſatis erat dicere, *Fiat lux*. Cum aquæ ſupernæ ab inferioribus ſeparandæ, & firmamentum pendendum inter vtrasq; aquas: nullis alijs, quàm his opus erat verbis; Fiat firmamentum. Cũ terra ſiccanda, cum Oceanus colligendus, cum flumina partienda, cum riui deducendi: hoc vnum proferebatur; Congregentur aquæ in locum ſuum. Rurſus cum terra herbis & cæteris ex ea naſcentibus fœcundanda, cum Sole & Luna & clariſsimis ignibus cœlum accendendum atq; illuſtrandum: breuiſsimo ſermone res fuit confecta, Germinet terra herbam virentem & lignum pomiferum; Fiant luminaria in firmamento, & deſignent tempora. Deniq; cum ſquamigero grege maria atque amnes, pennigero aër, reptilium cateruis ſolum, quadrupedum agminibus ſyluæ atq; antra eſſent conſerenda & ſtipanda: hæc ſola in auras dicta exierunt; Producat terra reptile viuacis animæ, & volatilium turbam; Producat terra animantium omnigenas ſpecies. At nunc cum viro conſors tori & vitæ quæritur; ſeria ac grauis deliberatio inducitur ab eo, qui nihil niſi ab æterno deliberatum agit. Quid ita tandem? quia obuiam eundum putauit inſolentiæ ac faſtui, arguendamq; ſtulticiam & vecordiam eorum, qui ſe aut digniores fœminis, aut ſine fœminis ætatem degi & res humanas conſiſtere potuiſſe temere veſaneq; opinantur. Idcirco vt conſultatione ſcribitur diuina maieſtas vſa in condendo viro, cum diceret; Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: ita in muliere creanda conſilium & curam non minorem adhibuiſſe videri voluit. Quod magis etiam intelligetur, ſi conſequentia audire voluerimus. Sic enim inſtitutam perſequitur diuinus ſcriptor hiſtoriam. Cum Adamo perpetuum dulciſsimumq; vitæ adiumentum adiungere Dominus decreuiſſet; ſoporem illi immiſit tantum, qui ſenſum

ſum omnem in corpore impediret. Nam vt extremo eidemq; præſtantiſsimo opificio ſuo conciliaret dignitatem, quanta eſſe poſſet maxima: cogitabat neq; ex nihilo illud producere, neq; ex vulgari viliq; materia fabricare. Inprimis autem ſingularem beneuolentiam, & animorum intimam atque indiſſolubilem coniunctionem inter priorem hominem & alterum illum ſibi proponebat. Quod vt efficeret; quia ſibi quidq; natura conciliat maxime, nec in rebus ſenſu præditis ſolùm id euenit, ſed in torpentibus etiam atque inanimatis, quarum partes ægerrimè diuelli ſeſe patiuntur, & quaſi dolent diſceſſu: hominem ex homine effingere optimum iudicabat. Itaque profundiſsimo ſomno conſopitum aggreditur, latus aperit, coſtam eximit, locum carnibus explet, quà nunc quoq; ſubiectam deſinentibus coſtis cauitatem oſsibus vacuam ſentimus. Hic verò eximiam artem admirabilis opifex exhibuit. Namque architectari cœpit, & fabri in modum chartilagineum illud os tractare, verſare, diſtendere, diuidere, ſculpere, radere, collocare, exornare, expolire; ad ſummam, in formoſiſsimam mulierem effingere: mente quidem & imagine diuinitatis parem viro, nec eo minus ingenij acumine & celeritate præſtantem; ſed, corpore haud paulò pulcriorem ſpecioſioremq;, omnibus membris ad amabilem venuſtatem, ad gratam iucundamq; teneritudinem, ad pleniſſimum deliciarum aſpectum compoſitis. Quantum autem & quale artificium in eo conſumtum ſit, quantum ſapientiæ collocatum; vt procreationi prolis & educationi, conſeruandoq; ac propagando generi noſtro tenerum illud & molle, ſed idem nobiliſsimum præclariſsimumq; opificium ſeruiret: cuius eloquentia poſsit explicare? Quod enim & vitam & vitæ prima alimenta haurimus à matribus; non tam ipſis, quàm Deo, nec tam humanæ voluntati & ſtudio, quàm diuinæ præſentiæ benignitatiq; citra controuerſiam tribuendum eſt. Quocirca, qui ortum ſuum piè aliquando commemorabit, hac vtetur ad Iouam oratione: Manus tuæ DOMINE fecerunt me, & digiti tui efformarunt me. Calebant etiam tunc manus tuæ, DOMINE, à

me ef-

me effingendo, cum in hanc lucem ab vtero prodirem materno: & veſtigia digitorum tuorum recentia apparebant. Tuis ab vberibus pependi infans: tuo lacte me nutriuiſti imbecillum. Iam quod tam amans fœtus eſt mulier, quòd laborum illius cauſa tam tolerans, quòd tam leni animo atque indulgenti in liberos: vnde id habet, niſi à primo generationis ſuæ ortu, diuinitus ad eam rem comparatæ? Quantus deniq; & quàm incredibilis amor eiuſdem ſexus in viros? quantus ardor? quanta cō-ſtantia? Quis in rebus afflictis & dubijs virum non deſerit? fida vxor. Quis in graui periculoſoq; morbo ſeſe iactanti aſsiſtit? fida vxor. Quis in lue ac peſtilentia miſerum non refugit? fida vxor. Quis capitis reum aduerſarijs, quis inſidijs petitum hoſtibus non prodit? fida vxor. Quis in exilium euntis veſtigia legit, & pariter mœrens hæret comes? fida vxor. Quis æquè in lætis gaudet? in honoribus exultat? in lucro geſtit? quis iratum mitius placat? quis delinquentem perfert? quis lapſum erigit? quis abſentem ſuſpirat? quis mortuum amat? Omnia hæc fidæ vxoris tam ſunt propria, quàm vultus virili blandior, quàm coma prolixior, quàm corpus nitidius & mollius. Atque his ſanè inſtructa dotibus, his muneribus exculta virgo, ſimilibusq; alijs adducebatur ad virum è ſomno experrectum. A quo autem adducebatur? Ab eo ipſo, à quo erat condita recens atque exornata & viro deſtinata. Quanquam enim ex ijs principijs fœmina conglutinata atque compacta fuerat; vt non potuerit non & ipſa exardeſcere amore viri, vt primum in eius conſpectum veniſſet; & viciſsim huius cupiditate mutua vir incendi, cum ex ſe genitam tacito naturæ inſtinctu agnoſceret, ſimilitudineq; ad diligendum atq; in amplexus raperetur: tamen id ſine auctoritate ſua certoq; iuſſu fieri, nequaquam aut hominis dignitati, aut ſuæ caſtitati conuenire ſummus parens arbitrabatur. Beſtijs id conceſſerat & volucribus, vtpote rationis & virtutis expertibus, nec ad Dei conſortium natis. Hominis cum homine coniunctionem auguſtiorem diuinioremq; eſſe volebat: nec carere præſentia numinis patiebatur eius rei initia, quæ ad numinis gloriā dilatandam & propagandam eſſet inſtituta. Quinetiam cœle-

ſtium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

ſtium Angelorũ opera & miniſterio ad id ipſum vti minus magnificum ſplendidumq; videbatur: circum plaudere eos & tripudiare, & hymenæum canere, & gratari, & amplexari, & flores frondesq; ſpargere ſinebat. Ipſe Nymphagogus eſſe, ipſe nuptiarũ conciliator, ipſe ſacri fœderis vt auctor, ita interpres haberi ac dici volebat: ſimul exemplum poſteris cogitabat prodere, quid in harum pactionum exordijs fieri oporteret. Non rapi fœminas permittit, quas cuiusq; impenſa libido appetat: non blanditijs verborum & munerib. allici in thalamos aut ſyluas, vbi corpora amantium impia iungat Venus: non temerariam ac dominatricẽ animi cupiditatẽ ad ſe explendam viribus corporis abuti, perniciosiſs. ſatellitibus deniq; nec ſine parentum iuſſu atq; auctoritate vxorem domum deduci, quã clandeſtinæ conuentiones & ſponſalia non manifeſta conciliarint. Hæc n audacia flagitium, & flagitium hoc nefas Deo eſt: quod acerbiſs. pœnis crudeliſsimoq; ſupplicio ſemper luitur. Teſtis diluuij inundatio, teſtis Sodoma, teſtis Gomorrha, teſtis omnium ætatum ſeculorumq; hiſtoria: tot oppida diruta, tot vrbes vaſtatæ, tot regna euerſa, tot nõ ſolum domus & familiæ, ſed populi gentesq; miſerandum in modũ exciſæ atq; deletæ. Idcirco, qui puellam creauerat, eam ipſe viro ad procreandum adiunxit & tradidit: ipſe vitæ ei perpetuam ſociam eſſe iubebat, ipſe vnam tori conſortem, ipſe menſæ aſſeclam, ipſe omnium rerum pariter dominam ipſe omnis fortunæ ex æquo participem in omnes annos conſtituebat ac pronunciabat. O illuſtrem ortum coniugij! ò nobilitatem clariſs. indiuiduæ vitæ ſocietatis! ò p̃clarum & maieſtatis pleniſs. huius nunquam dirimendi fœderis auctorem! Quem vos autem veſtræ ſectæ Principem habetis, qui cœlibem vitam ſtupendis laudib. effertis? qui omnib. generoſis mentibus & magna virtute viris eam dicitis placere? Vnde verò hoc arripuiſtis, qui cœlibes quaſi cœlites nominatos arbitramini? an ꝙ à cœlo ipſi alieni, neminem cœli incolam gignitis, nihil cœli domino paretis? Sed hæc aliorum. Nos Adami tanto dono aucti orationẽ audiamus. Qui quidem ſimul ac puellam aſpexit, & verba Iouæ audiuit, toto corpore commoueri viſus eſt: palpitare præcordia, fibras exilire, ſanguinem efferueſcere, ardorem animi incitari ſenſit: nec quicquã potius aut dulcius putabat, quàm intueri, quàm amplecti, quàm cõpel-

lare, quàm venerari. Et hoc adeò, inquit, illud eſt, q̃ vno me coſtarum iugo imminutum modò poſt ſomnum admirabar, & iã duodecim tantum pro tredecim parib. habere. Agnoſco Iouæ opificium, quo nullum maius aut præclarius eſſe poteſt; agnoſco conſilium, munus amplector, benignitatem liberalitatemq; ſummã veneror. Age nunc tu os ex meis ipſius oſsibus; age tandem caro ex mea ipſius carne, quàm te accipio & teneo libens! Salue leuamen eius curæ, quæ me ex ſolitudine inceſſerat: ſalue mea voluptas, quæ cum deeſſet vna, pa rum mihi iucũdus totius terrarum orbis dominatus videbatur. Salue non aliena à me vitę ſocia, ſed cognata & neceſſaria, ſed ſimillima & pene gemina. A te nihil me vnquam diuellet, nihil caritatem & beneuolentiam inter nos ſummam immutabit. Hoc ſemel nactus adiumentum, hoc præſidium, hoc ſolatium nunquam à me dimittam. Atq; vt ſcias, intelligere me, qua ex corporis mei parte, & quamobrẽ inde decerpta & fabricata ſis, ita habeto: non ſolum mutuam tibi beneuolentiam ſemper à me paratam, ſed æqualem etiã & parẽ mecum poteſtatem fore in omnia alia, par ius & imperium in noſtra, pares honorum gradus, pares dignitatis radios. Caput quidẽ & auctoritas mea erit, neq; n. aut ante me, aut è capite mea nata es; ſicut neq; è pede: quamobrem neq; ad pedes vnquã demitteris. è medio latere deſũmta, quæcunq; iucunda, quæ dulcia, quæ honorifica erũt, ex æquo mecum partieris. Meum erit patrocinium, mea tutela, mea propugnatio. Cuius vt admonearis, quoties compellaberis; non iam amplius Nekeba & fœmina è ſexus conditione vocaberis: ſed Iſcha & Virago à meo nomine proprium tibi nomen erit. Id tibi impoſitũ nunc à me, durabit etiam cum alterum tibi aliunde forte obueniet: atq; hoc ipſum in tuam tui ſexus poſteritatem longiſsimè promanabit. At verò tibi, Mi Pater atq; auctor rerum omnium (iam enim ad Dominum tantæ læticiæ nouæq; coniunctionis machinatorem ſeſe cõuerterat) tibi ex animo gratias ago pro tanto munere: Te pro tanta tamq; inſigni in me benignitate ac gratia colo ac veneror, colamq; & venerabor ſemper. Et quoniam hoc vitę genere delectari te mirificè & gaudere perſpicio: hoc ipſum poſteris quoq; noſtris, quicunq; futuri ſunt, inſtitutum tradetur & cõmendabitur: hoſce ego ritus eoſdem ſanctè docebo, atq; has leges ipſis religioſè ponã; quas

& viua

& viua voce modò dictaſti, & naturæ noſtræ inſeuiſti: vt & patris & matris amor amori cedat coniugali, relictaq; parentum domo ſuā quiſq; coniugem ſectetur, eiq; vni adhæreſcat; & quaſi glutino quodam aut ferruminatione cum illa coniunctus & copulatus, nunquā hoc vinculo ſeſe exoluat, fiatq; & conſiſtat ex duobus caro non niſi vna. At quanta vi beneuolentiæ, quanto amoris æſtu, qua conſtantia fidei, qua affectum ſtabilitate ſuam quiſq; parem diligere ac ꝓſequi debeat, ipſe exemplo omnib. ero. Quod qui imitabuntur, felices ętatem ac beati degent, Deoq; Opt. Max. dilectiſsimi atq; acceptiſsimi, nunquam ab eo negligentur. Hoc tum modò cum conſenſum Adamus in hac ſacratiſs. pactione declaraſſet ſuum, pietatemq; & gratitudinem pro tanto beneficio eſſet profeſſus: non contentus de hinc clementiſs. & hominum amantiſs. Pater ſuperiore benignitate, ampliſsima illam benedictione cumulauit; & partim vetera munera renouauit ac confirmauit in mulieris etiam tunc præſentia, partim noua quædam munificentiſsime addidit. Sic. n. dixit: Vos verò mihi dilecti cōiuges, creſcite & multiplici ſemine in magnas gentes abite: diffundite nouam ſubinde ſobolem in vniuerſam terram; eamq; ita occupate & opplete, vt nulla tandem eius portio incolis careat, nulla inſula vacua, nulli receſſus inanes reperiantur. Tenete campeſtria, poſsidete montana incolite prata, habitate ſyluas, veſtris vſibus aptate, quicquid vbiq; eſt ſoli, quicquid vndarum. Equidem faciam, vt meis mandatis atq; inſtitutis obtemperantib. omnia obediant, omnia ſubiecta ſint & obnoxia, omnia imperiū agnoſcant. Hæc dos erit ſponſæ; ne egentem ad te venire atq; inopem, Adame, putes. Adijcio quicquid terra alit, quicquid maria educant, quicquid volat æthere. Cuncta hæc erunt veſtra, veſtriſq; commoditatib. atq; emolumentis, & verò etiam voluptatib. ac ludicris delicijſq; prompta atq; expoſita. Nec moles elephantum, nec vires leonem, nec velocitas ceruos, nec ſaltus capras, nec celſi volatus aues, nec profundi natatus piſces à veſtra poteſtate eximent, aut defendēt à ſeruitute. Quid vultis amplius? quo tādem munere dotem optatis augeri? Prouiſum eſt dignitati & eminentiæ: Alimenti vos cura tenet? Ecce dotis auctuarium. Stat terra veſtita ſtirpibus, herbis, floribus, frugibus: quorum omnium innumerabilis multitudo inenarrabili varietate diſtinguitur.

guitur. Hæc, hæc quantacunq; eſt, & ipſa tota veſtra ſit. Nam nobis ea nihil eſt opus: veſtri cauſa omnia ſunt parata. Carpite, mandite, veſcimini, fruimini, quantũ ſatis eſt. Poma delectant? arbores porrigunt. baccę iuuant? præbent frutices. nuces placent? iuglans exhibet. ſuccus quæritur? ſudant balſama. expetitur oleum? oliua ſuppeditat. fauos & mella fingunt apes; lac & butyrum ſtillant pecudes: olera, legumena, frumenta, tuberes, omnis generis delicias paſsim fundit tellus. Explete deſideria veſtra, quantum placet. Sed in partẽ ſimul admittite beſtias, & ſua illis paſcua concedite. In illarum enim ſanguinem & cædem nec dum verti manum ſino. Nil quarundam voracitate & ingluuie vobis decreſcet: nil aliarum abſtinentia & parſimonia redundabit. ſufficient abunde omnib. omnia. Modò Adame memor ſis edicti mei, quod audiſti, ne vnquam libido animũ ſubeat violandi eius arboris fructum, quem à te intactum illibatumq; eſſe in omne tempus volo. Arbor eſt ſcientiæ boni & mali. Bonum noſti; bono fruaris: malũ ne experiaris caue. Cuius vitandi atq; effugiendi hæc vna ratio eſt, vt dicto ſis audiens, nec à verbo latum vnguẽ diſcedas meo. Habetis humaniſs. & ornatiſs. Auditores, ea quæ Dei interpres antiquiſsima & maximè admirabilia de coniugij initijs & legib. & præmijs, in ſuæ quidem linguæ idiomate diuino orationis filo texuit, à me expoſita, non vt volui & debui, ſed vt in hac & feſtinatione & ingenij tenuitate potui. Vtinam verò primus ille maritus, noſtri ſator generis & propagator, obedientiam ſuam ei, à quo tantis erat affectus beneficijs probaſſet, & innocentiam retinuiſſet perpetuo? Nunquam vllas ſenſiſſet calamitates beatiſs. vitæ genus: nunquam contemtu atq; odijs improborum, qui nulli tum fuiſſent; nunquam conuicijs & contumelijs profani atq; impudici gregis eſſet violatum: nunquam idem ſathanæ furorib. patuiſſet; eius ſæpe fraudib. implicatum, dolis interturbatum, malis artib. exagitatum: ſed cum liquidis ſemper voluptatib. abundaſſet, tum ab omnib. præcipuum honorem cultumq; reportaſſet; cunctarum expers inſidiarum, expers periculorum, expers doloris ac ſollicitudinis. Manet tamen ſingulari Dei beneficio antiquiſs. vitæ inſtitutum in hunc vſq; diem: manent etiam in deprauata corruptaq; natura hominum veſtigia luculentiſsima benedictionis illius primæ Coniugio additæ:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

manet eius dignitas & caſtitas & ſanctitas inter omnes Eccleſiæ ciues & veros Dei cultores. Neq; apud hos ſolum, ſed apud multas etiam ignaras veri Dei gentes. Tantum enim natura valuit, tantáq; vim retinuit coniunctio vnius maris & fœminæ, ſemel in primis mundi incunabulis diuinitus facta; vt ne poſtea quidem communis populorum error & horrenda inſcitia prorſus eam ſuſtulerit, aut libido euerterit, aut diaboli fraudes ſæuitiaq; delerint. Fuerint tam barbari olim Garamantes ac fœdi, vt eos Plinius dicat matrimoniorum exortes paſsim cum fœminis degere. Teſtetur idem Strabo de Scythis Nomadibus: apud quos cum omnia habita ſint communia præter enſem & cyathum, tū vxores & liberi omnes fuerint omniū. Scribantur Maſſagetæ, cum ſinguli ſingulas ducerent; tamen alienis vxoribus nec occulte, nec inuitis maritis abuſi. Ferantur Arabes quidam, qui omnibus eiuſdem patris fratribus vnam vxorem tribuerint, qua cum maior natu pernoctaret ſolus: cęteri fratres ad eam interdiu, quando libido ferret, adierint. Referat idem auctor Tapyros populos, qui ſint Hircanię vicini, vxores ſuas alijs ad vſum matrimonij non grauatè concedere, poſtquam ex ijs binos ternosuè liberos ſuſceperint. Catonem quoq; illum Romanum tanta gloria virū roganti Hortenſio Marciam conceſsiſſe ſecundum antiquā eius vrbis conſuetudinē, & ab hoc ſcriptore, & à Plutarcho memoriæ tradatur. Fuerint item alia, aut ſint etiam nunc, tetra exempla huius generis apud eos populos, quos nulla vera Dei religio imbuit, nullus vitæ cultus perpoliuit. At ſapientes populi, at humanitate excultæ gentes, at honeſtis legib. moribusq; fundatæ vrbes, at literis doctrinaq; clari homines naturæ iudicium confirmarunt; tacitam eius vocem exaudierunt; vnam vni viro mulierem indiuiduo vitæ nexu copulatam voluerunt. Poſſem commemorare egregios legumlatores, qui coniugij honeſtatem ſeuerisſ. vinculis munierunt. Poſſem referre orationes ſapientum virorum, qui ciuib. ſuis hanc curam caſtitatemq; perſuadere diligentisſ. conati ſunt. Nec deeſſent præmia & honores, quibus allicere; nec pœnæ & mulctæ, quib. cogere Principes & magni præſtantesq; viri aliquando aggreſsi ſunt iuuentutem, vt matrimonia vellet contrahere. Rationum autem, quib. prædicari horum iudicium extolliq; ſtudium queat; magna in eruditorum ſcriptis copia eſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

pia eſt. Sed non detinebo vos diutius Auditores. Præclarè nobiſcum agitur. Dei populus ſumus. eius voluntatem benigniſsime patefactam nouimus, mandatum obſeruamus, inſtitutum ſancte colimus. Coniunctionẽ hac Dei auctoritate initam ipſi amori, cæteras omnes etiam in fæcunditatis iudulgentia odio; eandem voluptati, cæteras amaro faſtidio; eandem curæ & defenſioni, cæteras abominando deſpectui & execrationi eſſe, non ignoramus. Ex legitimis nuptijs felicia rerump. fundamenta; ex legitimis nuptijs S. Eccleſiæ ſeminaria; ex legitimis nuptijs ſalutares affinitatum propinquitatumq; neceſſitudines; ex legitimis nuptijs ciuium inter ciues, gentium inter gentes, nationumq; inter nationes florentes fortunatasq; amicitias extitiſſe tenemus. Quid ſi in ijs dubia perpetuæ felicitatis opinio? magna nobis aduerſus eam comparata eſt conſtantia. Quid ſi moleſta caſtorum Deoq; placentium amorum vituperatio? dulcis aduerſus eam propoſita nobis conſolatio. Quid ſi inſana Diaboli molitio metuenda? firma nobis aduerſus eius oppugnationes propugnacula conſtituenda. Quænam verò illa, aut vnde? A cœlo; quod vincere ille aut expugnare nulla vnquam valet vi aut rabie, nulla audet ſperare impudentia. Quid incertis igitur gaudijs opponendum? Preces. hæ cœleſtem nobis benedictionem certam perpetuamq; faciunt. Quid inſolenti impiorum hominum hanc vitæ conditionem lacerantium faſtidio? Preces. hæ conſcientiæ tranquillitatem ſua innocentia nixã aduerſus impuros clamores facile tuentur. Quid aduerſarij potentiſs malitiæ? quid callidis & occultis oppugnationibus? quid apertæ violentiæ? Preces. hæ Dei cuſtodiam pariunt, Dei præſentiſsimũ nobis auxilium adiungunt, Dei contra aduerſa minitantia patrociniũ, contra accepta incommoda remedium ac leuamen pollicentur ac præſtant. Quid igitur ſupereſt, niſi vt læticiam huius diei hilaritatemq;, de qua initio dixi, Illuſtriſs generoſiſsimiq; Principis noſtri, eiusq; item illuſtriſs. generoſiſsimæq; Sponſæ nomine ſuſceptam, gratulationemq; tam feſtiuo tempori debitam, pijs votis precibusq; temperemus? & ſic æternum præpotentiſsimumq; numen adoremus? Cœleſtis Pater, rerum omnium auctor & arbiter, generis noſtri conditor, eiuſdemq; per coniugium à te inuentum, & tanta ſolennitate iam olim in primis rerum exordijs inſtitutum, tantiſq; dotibus auctum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

auctum; conſeruator & propagator: religioſis mentibus tuam ſapientiam in hoc opere editam admiramur, bonitatem gratis animis celebramus atq; extollimus. Tibi laus & honos & gloria ſempiternis ſeculis. Tu idem occultis amoribus deuincis animos, quos in vitæ ſocietatem vis coniungere: tu à terrarum longinquis oris ex improuiſo facis conuenire, quos coniugali fœdere ſtatuiſti colligare: Tu ſeparas, quanquam inuitos, quos diutius vnà viuere, aut ipſis incommodum & noxium, aut tibi non glorioſum fore præuides ſapientiſsimè. Rurſum ſubleuas deiectos, ſolaris mœſtos, exhilaras lugentes, lætitia gaudijsq; perfundis contriſtatos, tum demum, cum tibi & quo modo tibi videtur. Quod cum ſæpe aliàs, tum hoc etiam tempore pro clementiſsima voluntate tua, paternoq; in nos animo declaraſti. Tibi enim, tibi acceptum referimus, quod Illuſtriſs. Principis, cuius moderatiſsimo imperio nos ſubieciſti, domeſticum vulnus tuo conſilio ac voluntate inflictum, cicatricem tandem obduxit & curatum eſt & coaluit: quod diuturni luctus ſigna ſublata, curæ mitigatæ atq; extinctæ, acerbitas in ſuauitatem, dolor in lætitiam, ægritudo in gaudium conuerſa; mirabiliter ipſi conciliato per te matrimonio inclytæ & omnibus virtutibus ornatiſsimæ Dorotheæ Cimbricæ, ex regia Danorum ſtirpe procreatæ, virginis caſtiſsimæ, & ſui ſexus clariſsimi decoris. Quos q̃ hoc die optato fœdere inter ſe iungis & conglutinas; meritò tibi gratias agimus, quantas animi queunt capere. Oramus te etiam magnoperè, & per filium tuum, qui noſtri cauſa cum humanam carnem indueret, ex virgine viro pacta & deſponſa naſci atq; in hanc edi lucem idcirco voluit, vt ſanctitatem dignitatemq; coniugij oſtenderet, & quanta apud te in exiſtimatione id eſſet omnes edoceret: Per hunc, inquam, obſecramus & rogamus te. Ades ipſe his nuptijs, quas confeciſti; confirma fœdus, quod iniri iuſsiſti; ratas effice promiſsiones quas conciliaſti: Vtrinq; ſuccende animos vt flagranti & rapido, ita conſtanti & caſto igne: fac mutua beneuolentia ſemper accreſcat; fides nunquam labefactetur aut imminuatur. Nec ſubtrahe aut differ deſideratã fœcunditatem: ſed quod genus per complura iam ſecula ex generoſiſsimis Polonorum regum natalibus feliciter proſeminaſti, & nunquam interciſa maſculorum ſerie ad hæc vſq; tempora cum magna

laude

laude prudentiæ & moderationis deduxiſti; id deinceps etiam ad tranquillitatem & ſalutem harum gentium, ad dignitatem & decus laudatiſsimæ domus Ligniciæ, imprimisq; ad nominis tui veram agnitionem celebratiſsimamq; prædicationem ſeris poſteris prodendam; conſerua clementer & propaga: omniaq; felicia ac fortunata nouis coniugibus effice, omnia fauſta & læta largire, mala omnia ab ijs repelle. Quamprimum etiam diligenti Angelorum tuorum cuſtodia vigilijsq; ſeptos ac munitos Patriæ illum ſecundum te Patrem, & Patriæ Patris lucem ac vitam, alteramq; iam partem animæ, illam propediem Lignicianæ regiæ Prouinciæq; prouidam mitemq; nutricem, quàm molliſsimo itinere, & ſereniſsimo cœlo, & expeditiſsimo curſu, rebusq; & rationibus omnibus rectiſsime confectis, in cupidiſsimæ gentis conſpectum, in amantiſsimæ Prouinciæ amplexus, in Reip. ex mora longiore iam deſiderium non ferentis tutiſsimum fidiſsimumq; ſinum, cum firma incolumitate, placidè paterneq; reducito. Ita liberalitatem in nos tuam iam tum maiorem, quàm vt vllis gratijs agendis eam aſſequi, aut cultu ac veneratione exæquare vnquam poſsimus; magno atq; ingenti cumulo auxeris, & nos ad te laudandum celebrandumq; magis ac magis deuinxeris. Quam pietatem vt tibi pro ampliſsimis tuis meritis ſincerè præſtemus; quanta nos vnquam verborum religione facturos profitebimur, tanta animi humilitate & ſubiectione, tantoq; ardore ſtudioq; facere ſemper enitemur. In quo nos iuua per tuam gratiã, quæ ſola nos apud te ponit in gratia: propter gratioſum illum Filium, cuius ex amore omnia in nos grata & iucunda & ſalutaria à te redundant.

DIXI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 341 [40:2,-426 4°]